

Jahresbericht
über das
Königliche Katholische Gymnasium
in
Deutsch-Krone
in dem Schuljahre 1877—1878,
mit welchem
zu der öffentlichen Prüfung am 30. Juli
und
zu den Schlußfeierlichkeiten am 31. Juli
ergebenst einladet
der Director des Gymnasiums

Professor A. Lomiński,
Ritter des Rothen Adler-Ordens IV. Klasse.

NEUE FOLGE
Nro. XXIII.

Inhalt: 1) De compositione interpolatione et emendatione primi carminis Horatiani. Von Director.
2) Schulnachrichten. Von demselben.

Deutsch-Krone,
Druck von F. Garmś.
1878.



1870

Washington D.C.

Dear Sir

I have the honor to acknowledge the receipt of your letter of the 10th inst.

and in reply to inform you that the same has been forwarded to the proper authorities.

I am, Sir, very respectfully,
Your obedient servant,

J. M. Smith

Secretary of the Board of Commissioners

of the District of Columbia

Washington D.C.

De
compositione interpolatione et emendatione
primi carminis Horatiani.

Primum carmen Horatii quotiens lego, totiens aegre fero nunc a plerisque criticis illud secundum legem Meinekianam quam vulgo vocant in strophas quaternorum versuum divisum hoc modo exhiberi:

Maecenas atavis edite regibus, o et praesidium et dulce decus meum. sunt quos curriculo pulverem Olympicum collegisse iuvat metaeque fervidis	20	est qui nec veteris pocula Massici nec partem solido demere de die
5 evitata rotis palmaeque nobilis terrarum dominos evehit ad deos: hunc, si mobilium turba Quiritium certat tergeminis tollere honoribus;	25	spernit, nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae. multos castra iuvant et lituo tubae permixtus sonitus bellaque matribus
10 illum, si proprio condidit horreo quidquid de Libycis verritur areis. gaudentem patrios findere sarculo agros Attalicis condicionibus	30	detestata. manet sub Iove frigido venator tenerae coniugis immemor, seu visa est catulis cerva fidelibus seu rupit teretes Marsus aper plagas.
numquam demoveas, ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta seceat mare.	35	me doctarum hederac praemia frontium dis miscent superis, me gelidum nemus nympharumque leves cum satyris chori secernunt populo, si neque tibias
15 luctantem Icaris fluctibus Africum mercator metuens otium et oppidi laudat rura sui: mox reficit ratis quassas, indocilis pauperiem pati.		Euterpe cohibet nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton. quod si me lyricis vatibus inseres, sublimi feriam sidera vertice.

quid enim? nonne talis stropharum divisio perversissima et ab omni sana ratione alienissima est qua singula carminis cola et enuntiata artissime copulata et cohaerentia (si quidem argumentum et verborum structuram spectamus) per vim divelluntur et consulto quasi membratim conciduntur

misereque dilacerantur? veluti 4. 5 metaque fervidis || evitata rotis, 7. 9 hunc || illum, 12. 13 condicionibus || numquam demoveas, 16. 17 otium et oppidi || laudat rura sui, 20. 21 demere de die || spernit, 24. 25 bellaque matribus || detestata, denique 32. 33 tibus || Euterpe cohibet. quae quidem legis illius Meinekianae perversitas valde augetur etiam eo quod eorum clausulas quae sane multae in hoc carmine insunt, omnes in mediis strophis perquam incommode et inscite collocatas videmus uti 2 dulce decus meum. 6 evehit ad deos. 10 de Libycis verritur areis. 14 nauta secet mare. 18 indocilis pauperiem pati. 22 ad aquae lene caput sacrae. 34 refugit tendere barbiton.

Atque haec gravia talis compositionis vel potius confusionis incommoda rectissime sentiens Carolus Nauckius*) aliam stropharum divisionem excogitavit nimirum primos duos itemque ultimos duos versus proodi et epodi instar a reliquis omnino seiungens. en habes Nauckianam stropharum descriptionem infra positam:

<p>Maecenas atavis edite regibus, o et praesidium et dulce decus meum!</p> <p>sunt quos curriculo pulverem Olympicum collegisse iuvat, metaque fervidis</p> <p>5 evitata rotis palmaque nobilis terrarum dominos evehit ad deos:</p> <p>hunc, si mobilium turba Quiritium certat tergeminis tollere honoribus; illum si proprio condidit horreo</p> <p>10 quidquid de Libycis verritur areis.</p> <p>gaudentem patrios findere sarculo agros Attalicis condicionibus numquam demoveas, ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare:</p> <p>15 luctantem Icaris fluctibus Africum mercator metuens otium et oppidi laudat rura sui: mox reficit ratis quassas, indocilis pauperiem pati.</p>	<p>est qui nec veteris pocula Massici nec partem solido demere de die spernit, nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.</p> <p>multos castra iuvant et lituo tubae permixtus sonitus bellaque matribus</p> <p>25 detestata. manet sub Iove frigido venator tenerae coniugis inmemor,</p> <p>seu visa est catulis cerva fidelibus seu rupit teretes Marsus aper plagas. me doctarum hederæ præmia frontium</p> <p>30 dis miscent superis, me gelidum nemus</p> <p>nympharumque leves cum satyris chori secernunt populo, si neque tibus Euterpe cohibet nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton.</p> <p>35 quod si me lyricis vatibus inseres, sublimi feriam sidera vertice.</p>
--	---

ac talem quidem stropharum descriptionem quamquam priori illi iure anteponendam esse censemus, tamen haec quoque ab arte Horatii longius quam credas remota est. ac primum quidem nusquam apud Horatium tale exemplum proodi aut epodi exstare memini — ne in limatissimo quidem illo carmine amoebæo III 9:

Donec gratus eram tibi
nec quisquam potior bracchia candidae
cervici juvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior.

5 ,donec non alia magis
arsisti neque erat Lydia post Chloen
multi Lydia nominis,
Romana vigui clarior Ilia.'

*) Des Q. Horatius Flaccus Oden und Epoden. Von Dr. Carl Nauck. 9. Auflage. Leipzig 1876.

me nunc Thressa Chloe regit,
 10 dulcis docta modos et citharae sciens,
 pro qua non metuum mori,
 si parcent animae fata superstiti.

me torret face mutua
 Thurini Calais filius Ornyti,
 15 pro quo bis patiar mori,
 si parcent puero fata superstiti.

quid si prisca redit Venus
 diductosque iugo cogit aeneo?
 si flava excutitur Chloe,
 20 reiectaeque patet ianua Lydiae?

quamquam sidere pulchrior
 ille est, tu levior cortice et improbo
 iracundior Hadria,
 tecum vivere amem, tecum obeam libens.

accedit quod duo illi versuum biniones primi carminis ad Maecenatem spectantes l. 2 : 35. 36 cum reliquo argumento nequaquam cohaerent, id quod a carminis dedicatorii indole prorsus abhorret. sed gravius incommodum in ipso quoque carmine inest propter contortam et perplexam illam trium ultimarum stropharum 6. 7. 8 (v. 23—34) implicationem, qualem quidem etiam in lege Meinekiana (sive effrenatam licentiam dicere mavis) supra vituperavimus. nam cum priores strophae omnes admodum concinne et eleganter sic decurrant, ut quaevis descriptio tamquam tabula quaedam intra fines unius strophae contineatur veluti agricolae vel mercatoris vel genio indulgentis hominis:

gaudentem patrios findere sarculo
 agros Attalicis condicionibus
 numquam demoveas, ut trabe Cypria
 Myrtoum pavidus nauta seet mare.

luctantem Icaris fluctibus Africum
 mercator metuens otium et oppidi
 laudat rura sui: mox reficit ratis
 quassas, indocilis pauperiem pati.

est qui nec veteris pocula Massici
 nec partem solido demere de die
 spernit, nunc viridi membra sub arbuto
 stratus nunc ad aquae lene caput sacrae.

inde a v. 23 et militis et venatoris descriptiones illae valde imperite et invita ut aiunt Minerva quasi luxata disiecta et lacera membra poetae non quidem duabus integris strophis ut par erat, sed sesquialtera tantum strophae tali modo proponuntur:

multos castra iuvant et lituo tubae
 permixtus sonitus bellaque matribus
 detestata. manet sub Iove frigido
 venator tenerae coniugis inmemor,

seu visa est catulis cerva fidelibus
 seu rupit teretes Marsus aper plagas.

ut profecto quivis qui aliquem pulchri venustique sensum habet, ilico sentiat poetam Venusinum multo melius concinnius ac venustius sic canturum fuisse:

multos castra iuvant et lituo tubae
permixtus sonitus bellaque matribus
detestata

. manet sub Iove frigido
venator tenerae coniugis immemor,
seu visa est catulis cerva fidelibus
seu rupit teretes Marsus aper plagas.

en vide duas lacunas feliciter ni fallor a me detectas de quibus nemo dum cogitavit! et altera quidem lacuna tam parva est, ut eam explere haud sane difficile videatur. etenim cum v. 25 verbum manet exiliter et frigide dictum sit ac requiratur aliquid quo magnum illud et aere cuiusvis venatoris studium plenius et clarius exprimatur cumque interpretes tam antiquiores quam recentiores manet idem hic esse existiment atque pernoctat ad alium locum Horatianum provocantes sat. II 3. 234

in nive Lucana dormis ocreatus ut aprum
cenem ego,

quid quaeso probabilius vel aptius quam ipsius noctis notionem ad redintegrandam illam venatoris descriptionem hic addere tali fere modo:

[sera nocte] manet sub Iove frigido
venator tenerae coniugis immemor,
seu visa est catulis cerva fidelibus
seu rupit teretes Marsus aper plagas.

heu edepol! quam bella quattuor versuum stropha — fortasse inquis. ego vero num omnes quattuor eius strophae versus sani et ab omni labe liberi sint, adhuc incertus haereo. nam cum de venatione hic sermo sit, nonne pro catulis fidelibus potius ipsos canes venaticos a poeta commemoratos fuisse probabile est? quem ad modum in simili causa locutus est Vergilius Aen. IV 132

Massylique ruunt equites et odora canum vis.

ut ab Horatio quoque sic antiquitus scriptum fuisse facile suspicari possis:

seu visa est canibus cerva sagacibus.

in quam coniecturam certo scio fuisse aliquando qui incideret, sed nunc dum haec scribo, nomen critici vel commentatoris vel librarii non recorder. sed unde tandem illi catuli fideles quos potius in sinu et complexu delicatulae alienius ac nobilis mulierculae crustulis amantissime nutritos ac blandientes quam 'in nive Lucana' contra cervos et apros acriter venantes exspectes, sumpti videntur? fortasse ex eodem Vergilio qui Buc. I 23

sic canibus catulos similis, sic matribus haedos

et Georg. III 404 sqq.

nec tibi cura canum fuerit postrema, sed una
velocis Spartae catulos aereaque Molossum
pasee sero pingui. numquam custodibus illis

nocturnum stabulis furem incursusque luporum,
aut inpaatos a tergo horrebis Hiberos.
saepe etiam cursu timidus agitabis onagros,
et canibus leporem, canibus venabere dammas;
saepe volutabris pulsos silvestribus apros
latratu turbabis agens, montisque per altos
ingentem clamore premes ad retia cervum

canes reapse deminutiva forma catulos appellavit pro more suo variandae orationis causa, ita tamen ut ante commemoratis ipsis canibus de catulorum significatione nulla oriri dubitatio possit, id quod neutiquam cadit in hunc locum Horatianum, quo catuli de quorumlibet animalium ipsiusque adeo cervae quae ibi commemoratur pullis accipi possunt.

Iam vero multo difficilior et incertior videtur esse coniectura de ampliore lacuna antecedentis strophae 23—25, qua militis descriptio continetur. hanc quoque descriptionem mancam et mutilam esse unus quisque credo sentit. quid? quod ne recte quidem procedere oratio mihi videtur, cum post singulares et peculiare voces illas ad militiam spectantes castra et lituo tubae permixtus sonitus communis ac generalis vox bella ex eodem verbo iuvant apta sequatur, id quod non solum a more poetico sed etiam ab omni sana loquendi ratione alienum est. quapropter inde a voce bella novum enuntiatum incipere suspicor quo poeta fortasse dixerat, 'bella matribus detestata pellere optimos quosque iuvenes procul a domo in terras remotissimas ubi fortiter pugnantes vitam ipsam pro patria profundant.' ac talis argumenti versiculum unum et alterum ludere quibus felicius est vena permiserim.

Nunc ad ultimam carminis partem accedo qua Horatius se unice poesis amore teneri profitetur. quae quidem sententia cum gravis sane et iis quae de variis hominum studiis ante dicta sunt, plane opposita sit, novam hic stropham incipere omnino consentaneum est, in Nauckiana vero discriptione antitheticam illam sententiam in media stropha positam nec quattuor versuum numero circumscriptam, sed prorsus contra rationem et artem sex versibus dilatam et amplificatam videmus. nihil igitur proclivius quam sola concinnitate et compositione strophica duce de duorum iam dudum suspectorum versuum 30. 31 interpolatione cogitare, ut haec sane quam concinna et elegans vereque Horatiana stropha quattuor versuum ex tralaticia et fucata illa verborum ubertate remanere videatur:

me doctarum hederæ præmia frontium
secernunt populo, si neque tibiae
Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

omninoque ut plane dicam quod sentio, universum illud corruptelae genus quod interpolatione continetur, cum in omnibus scriptis Horatianis*) tum in hoc carmine aliquanto latius patere mihi videtur quam vulgo creditur. quid multa? resectis iis quae interpolator audacius an impudentius

*) De interpolationibus Horatianis quid sentiam, nuper explicatius dixi in schedis criticis in epist. II lib. II per opportunitatem scholasticam editis in progr. gymnasii nostri a. 1876. ac totum hoc corruptelae genus quam late etiam in quattuor carminum Horatianorum libris pateat, cum parum inter criticos constet, nescio an operae pretium sit denuo accurate in eam rem inquirere, ut quid tandem latinum, quid poeticum et Horatianum vel certe Horatio dignum sit, plane et plene internoscere ac diiudicare hodie possimus. qualem perutilem sane operam eorum rudi inertiae opponi consentaneum est qui ultra codicum apices sapere aut nolunt aut naturae vitio nequeant. quos quidem artis criticae sanaeque rationis contemptores an obtrectatores paulo accuratius descripsi l. c. p. 4 sq. iisque nescio quo successu ibidem inculcare conatus sum praeclara verba Ruhnkenii qui in epist. crit. I p. 5 gravissimam illam quam modo dixi artis criticae partem a recentioribus turpiter negligi iure ac merito conqueritur.

ludibunda manu in hoc carmine periclitatus est quaeque nonnulli critici veluti Peerlkampius*) Hermannus**) Linkerus***) ut suppositicia et interpolata maximam partem feliciter iam indagarunt, hoc carmen Horatii non esse dedicatorium, sed prooemii sive prologi locum obtinere arbitror, cuius pristina species nescio an haec fuerit:

Prooemium sive prologus.

Gaudentem patrios findere sarculo
agros Attalicis condicionibus
numquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

luctantem Icaris fluctibus Africum
mercator metuens otium et oppidum
laudat cara sibi****): mox reficit ratis
quassas, indocilis pauperiem pati.

*) Q. Horatii Flacci Carmina recensuit P. Hofman Peerlkamp. editio altera emendata et aucta. Amstelodami 1862.

**) De primo carmine Horatii. Lipsiae 1842.

***) Cf. Verhandlungen der 17. Versammlung deutscher Philologen in Breslau (1857) p. 100 sqq.

****) Sic locum instauravimus anal. philol. Fleckeisani vol. CIII p. 555 ineptissimam scripturam vulgatam, oppidi laudat rura sui' dudum a Bentleio quoque explosam prorsus reicientes. etenim oppidi rura tantundem valere mihi videtur quam si quis male sanus ruris oppidum vel oppida stulte dicat. utrumque pari modo ridiculum est. ceterum vide quae l. c. de scriptura vulgata deque nostra coniectura copiosius disputavimus. sunt vero haec: 'Der Ausdruck oppidi rura erscheint in hohem Grade befremdend, ja unerträglich wegen des Gegensatzes von oppidum und rus: vgl. serm. I 1. 11 qui rure extractus in urbem est. II 7. 28 Romae rus optas: absentem rusticus urbem tollis ad astra levis. epist. I 14. 40 rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum. Dieser scharf ausgeprägte Gegensatz gestattet weder ein oppidi rus noch rura, welches letztere Peerlkamp sehr gezwungen durch rura oppido vicina erklärt, während schon Bentley den Ausdruck mit Recht ganz verwarf: 'equidem rura oppidi vel simile quid non usquam legisse memini.' Dazu kommt noch, dass die Gefilde (rura) hier zur Schilderung der Bestrebungen des Kaufmanns überhaupt nicht passen und bereits vorher bei dem Landmann ihre geeignete Erwähnung gefunden haben: v. 12 gaudentem patrios findere sarculo agros. Was nun die von Bentley und neuerdings auch von Lehrs gebilligte Conjectur des Acidalius oppidi laudat tuta sui betrifft, so finde ich dieselbe keineswegs empfehlenswerth, zunächst nicht wegen des überaus matten Ausdrucks oppidi tuta, welcher nach Peerlkamp's treffender Bemerkung nicht identisch ist mit oppidum tutum, sondern so viel bedeutet wie loca in oppido aliis locis, quae sunt in eodem oppido, tutiora, pars oppidi tutior. Ein nicht geringer Anstoss liegt ferner nach meinem Gefühl in dem Pron. sui, insofern eine jede Stadt, nicht etwa blos die Vaterstadt, dieselbe Sicherheit und denselben Schutz gewährt gegenüber der Gefahr einer Seefahrt. Mit Rücksicht auf alle diese Erwägungen schreibe ich vorerst an unserer Stelle otium et oppidum laudat. Der Kaufmann preist bei drohender Gefahr auf dem Meere das otium im Gegensatz zum negotium, dem er früher oblag; nicht minder lobt er das oppidum im Gegensatz zu dem gefährvollen Element (mare) und seiner früheren Reiselust: serm. I 1. 30 per omne audaces mare qui currunt. Aus den folgenden Worten der Ueberlieferung rura sui, welche einem Glossen gleich zu achten sind und allem Anschein nach von einem Glossator herrühren, der die beliebte rusticatio ungefähr nach Anleitung von epod. II 1 und 68 procul negotiis paterna rura — iam iam futurus rusticus hier anbringen wollte, dürfte nunmehr mit Leichtigkeit die wahre Hand des Dichters herzustellen sein. Diese kann meines Erachtens keine andere sein als cara sibi. Diese Worte enthalten gleichsam die Begründung der vorhergehenden in dem Sinne von tamquam sibi cara oder cum sibi cara sint. Die Ruhe und Geschäftslosigkeit sowie das Verweilen in der Stadt ist dem Kaufmann im Augenblicke der Gefahr, welche ihm bei der Seefahrt droht, lieb, werth und theuer, welcher Ausdruck, aus der kaufmännischen Sphäre selbst entnommen, nicht passender gewählt werden konnte.'

est qui nec veteris pocula Massici
nec partem solido demere de die
spernit, nunc viridi membra sub arbuto
stratus nunc ad aquae lene caput sacrae.

multos castra iuvant et lituo tubae
permixtus sonitus bellaque matribus
detestata

[sera nocte] manet sub Iove frigido
venator tenerae coniugis inmemor,
seu visa est canibus cerva sagacibus
seu rupit teretes Marsus aper plagas.

me doctarum hederæ præmia frontium
sccernunt populo, si neque tibias
Euterpe colibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

En habes novam carminis formam ac speciem qualem ad strophicam compositionem et artem si forte Horatianam probabiliter revocasse nobis videntur. quam quidem compositionem plane diversam esse a Meinekiana, in quibusdam partibus etiam a Nauekiana supra iam monuimus. sed quis tandem quaeso haec parva frustra ac fragmenta quae modo proposuimus pro carmine Horatiano habebit? — nonne etiam novissimus idemque felicissimus interpolationum Horatianarum investigator Lehrsius*) audacissimam manum suam a primo carmine omnino abstinuit totumque poema intactum reliquit? ac de Lehrsio quidem concedo et doleo quod κριτικώτατος ille tantum auit ut hanc longam frigidam ac molestam de variis hominum studiis vitaeque condicionibus quasi commentationem vel potius farraginem**) quandam in brevius contraheret ut post v. 7 etiam quattuor versus miro sane acumine addendos esse suspicaretur. quo quidem invento idem criticus etiam arti metricae parum

*) Q. Horatius Flaccus. Mit vorzugsweiser Rücksicht auf die unechten Stellen und Gedichte. Herausgegeben von K. Lehrs, Professor in Königsberg. Leipzig. 1869. p. XXVI sq.

**) Vide etiam quae de simili J. Chr. Jahni errore lepide narrat Linkerus l. c. pag. 108 adn. 17: „Der durch ein Verkennen dieser Gliederung entstehende Widersinn zeigt sich besonders deutlich in der musterhaft conservativen Abhandlung von weiland J. Chr. Jahn de Horatii carmine primo. Lips. 1845. Derselbe findet S. 12 in dem ganzen Gedichte novem hominum imagines, und zwar, wie er vermuthet, nach der Zahl der Musen, denen der Dichter sich ergeben: diese Neunzahl aber scheidet sich wieder in drei Gruppen, nämlich 1. Hochgeborene, welche die ererbten Güter von a) Ruhm, b) Ehre und c) Reichthum sich zu bewahren streben; 2. Niedriggeborene und zwar a) kleine Bauern, b) Kaufleute, c) Privatiers; 3. (ohne generelle Bezeichnung) a) Krieger, b) Jäger, zu welchen dann c) unser Horaz in eigner Person sich gesellt. Der Verfasser hat dabei trotz seiner bona fides der überlieferten Gestalt des Gedichtes wol denselben Dienst erwiesen, wie in einem ähnlichen Falle Orelli, als er durch seine versuchte Rechtfertigung der vorletzten Strophe in Carm. II 1 die Unmöglichkeit dieses Machwerks erst recht ins Klare setzte. Aber J. hat auch dem Dichter kühn nachzudenken und nachzudichten versucht. In den terrarum domini glaubt er dieselben wieder zu finden, quos . . . iuvat, nämlich römische nobiles, welche mit ihrem Dominat über den Erdkreis nicht zufrieden auch in Olympia mitkämpfen. Denn sollten die di selbst als die terrarum domini bezeichnet werden, so hätte der Dichter schreiben müssen:

. . . palmaque nobilis
terrarum dominis aequiparat diis.“

So ist zu lesen a. a. O. p. 16. Da könnten wir V. 30 aus der Form dis wol gar einen neuen Beweis der Interpolation gewinnen? —

prudenter ni fallor consuluit. etenim sat amplum XXXVI versuum numerum inutiliter augens non cogitavit eiusmodi carmina monosticha*) eodem numero sine ulla varietate usque decurrentia multitudinem versuum ac longitudinem omnino respuere, scilicet ut ne perpetua eiusdem versus repetitio aut molesta unius eiusdemque caesurae inculcatio et auditio taedium nobis afferat auresque offendat.

Nunc age videamus aliorum criticorum de hoc carmine coniecturas. ac Peerlkampius quidem hos septem versus 3. 4. 5. 9. 10. 30. 35 suspectavit, Hermannus quattuor 1. 2. 35. 36, Linkerus duodecim 1. 2. 7. 8. 9. 10. 27. 28. 30. 31. 35. 36, Gruppius**) vero adeo viginti versus eosque maximam partem sanos et innocentes 1. 2. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 27. 28. 30. 31. 35. 36 crudelissime obelo suo iugulavit. denique commemorandi sunt etiam Guictus et Bentleyus quorum ille totum carmen ab Horatio abiudicavit, hic autem parum honorifice de ipso poeta sensit haec dicens: „prooemii, ut res ipsa indicat, sive prologi locum hoc carmen obtinet ceterisque huius libri absolutis novissimum accessit. sed vereor equidem, si certa hic est librorum fides, ne non ex Pindari sui πρόσωπον τηλαυγές, non purpureum late qui splendeat, sed vilem sordidumque panniculum noster assuerit.’ —

Quae cum ita sint, in tanta criticorum dissensione quid quaeso mirum si ego quoque huc illic animo fluctuans deque instauranda pristina huius carminis Horatiani specie propemodum desperans***) ad severum illud Guicti Bentleyique iudicium quod modo commemoravi confugere iam

*) Profecto mirum videtur quod Horatius primo statim carmine quo prologi instar semetipsum et lyricam poesin suam imprimis commendare voluit, hoc simplici et incompto ne dicam ieiuno numero usus est. praeter hoc carmen etiam duo alia exstare scimus eodem numero composita III 30 et IV 8. illud XVI, hoc XXXIV versus complectitur. sed haec duo carmina quoniam nuper vel tota vel saltem aliqua ex parte a criticis in interpolationis suspicionem vocata sunt ac mihi quoque Horatii calamo parum digna videntur, eorum formam et compositionem cum hoc primo carmine comparare nescio an inutilis et irritus labor sit. hoc tamen addiderim primo carmine videri poetam quodammodo compensare voluisse simplicitatem compositionis et ieiunitatem quandam numeri eo quod unam quamque quaternorum versuum stropham ampliore interpunctione et sententiae clausula sive pausa non sine arte distinxit. ac verum fateri si volumus, pausae illae sententiarumque clausulae ad discriminandas carminum monostichorum strophas prorsus necessariae nobis videntur. quae quidem clausulae si omnio deessent in carmine nostro, nihil profecto impediret quominus illud praeter numerum quaternarium a Meinekio excogitatum etiam secundum alios numeros aliasque formulas in strophas divideremus veluti in strophas binorum versuum 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2 vel trinorum 3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. 3 vel senorum 6. 6. 6. 6. 6. 6 vel novenorum 9. 9. 9. 9 vel duodenorum 12. 12. 12 vel denique duodevicesimorum 18. 18. tot enim tamque varias divisiones in strophas (sive cola dicere mavis) hoc carmen scilicet XXXVI versus complectens admittere potest. an vero quaternarius hic numerus Meinekianus reliquis numeris omnibus elegantior vel sollemnior vel usitatior aut nobis nunc videtur aut ipsi Horatio olim visus esse existimandus est? haud crediderim. sed ut paulo liberalius agamus et aliquantisper hoc largiamur quod ipsum per se probabile esse minime concedimus, tamen vel in tali h. e. quaternaria versuum descriptione sicuti in quibuslibet aliis carminum monostichorum strophis utique pausis sive sententiarum clausulis opus esse putamus, ut quales tandem et quam longae strophae sint, ubi incipiant, ubi desinant, aliquo saltem modo dispicere queamus. itaque desinant tandem et critici et metrici Meinekianum illud inventum quod vocant tot laudibus efferre, quod cum ad solos calculos numerumque versuum spectet, hercle non ars, sed merum molestumque artificium est.

**) Aeacus. Ueber die Interpolationen in den Römischen Dichtern. Mit besonderer Rücksicht auf Horaz. Von O. F. Gruppe. Berlin 1872. p. 91 sq.

***) Multae sane dubitationes et scrupuli olim pungebant etiam sagacissimum atque ingeniosissimum interpolationum Horatianarum inventorem Peerlkampium qui de eodem carmine haec memoratu digna dicit l. c. praef. p. V. sq: „Vel primum statim carmen centies fortasse lectum in omnes partes versatum et exersum non plane intellegebam. quam esse dicemus huius rei causam? obscuritatem scriptoris? sed hoc vitio optimi poetae Romani non laborabant, minime Horatius quod in eo etiam laudat Suetonius. ignorantiam lectoris? si primus ego ad hoc carmen explicandum accessissem, facile fieri poterat ut me multa latuissent. sed quingenti et plures explicaverunt, in his multi novae sententiae auctores, plurimi hanc vel illam sententiam verbo vel addita ratione secuti. ego accessi

coner? — et verum ut fatear, reapse olim hoc feci, sed paulatim lenius iudicare coepi sicubi duas manus sive recensiones in hoc poematio deprehendere mihi visus sum, unam imperiti et insulsi interpolatoris qui quidem ‚variare cupiens rem prodigialiter unam’ ut ipsius Flacci verbis utar, vera falsa sana insana genuina spuria incredibili temeritate ac libidine permiscuit. ac primum quidem caput et caudam carmini agglutinans illud Maecenati dedicavit*) 1. 2. 35. 36, quem

ultimus. Horatium ut digitos novi, Horatium in succum et sanguinem converti, cum scriptoribus Graecis et Romanis comparavi: nullam in tanta varietate sententiam veram iudico neque ipse meliorem habeo. quodsi igitur, dices, Horatius neque ipse sit obscurus neque interpretes indocti, statuamus necesse est hoc carmen ab imperitis librariis sermonem latinum nescientibus adeo esse corruptum ut verba perverse scripta a criticis restitui non potuerint. sed neque hoc verum est. nam singula vocabula fere est ut dicam omnia probe latina sunt neque magna eorum in MS apparet diversitas eaque fere huiusmodi ut, quomodoque legantur, parum ad meliorem intelligentiam intersit: ut mobilium et nobilium, certat et certet, detestata et detestanda, fidelibus et sagacibus. in aliis manifestus error describentium cernitur ut vertitur pro veritur, neque Polymnia pro nec Polymnia. quoniam igitur difficultates neque ab auctore neque a legente neque a corruptis per inscitiam librarium vocabulis proficiscuntur, aliam esse suspicabar causam, versus scilicet spurios: et uno alteroque hinc illinc eiecto vidi sententiam fieri perspicuam et meliorem, orationem magis latinam et augeri plerumque nativam illam venustatem qua poetae aetatis Augustae censentur. laetus primo successu incredibili cum voluptate omnes quinque carminum libros sordibus istis purgavi: editionem vero diu distuli. nam primum verebar ne amore inventi abreptus calido nimis consilio germanos pro spuris eiecissem. deinde meo unius iudicio esse diffidendum putabam qui viderem immensam doctissimorum interpretum, paucissimis exceptis, multitudinem de assutis Horatio centonibus non modo non cogitasse, sed etiam ita rem gessisse ut Horatium et suo et aliorum iudicio probe intellexisse viderentur. ubi ego saxa et salebras, hi planum iter et amoenum: ubi ego meras tenebras, hi solem meridianum: ubi ego colorem non latinum affectatas elegantias repetitiones ineptas orationem humilem nullam sententiarum connexionem alia vitia, hi omnia fere contra cernebant. itaque meam tam audacem sententiam diu esse celandam putavi animoque et cogitatione iterum atque iterum volvendam, prius quam proferrem, si forte tempus et aetas meliorem suaderent. tempus et aetas confirmarunt neque parvum ex Ieremiae Marklandi auctoritate accessit momentum, cuius verba olim quidem a me lecta nunc demum optime intellecta omni me timore ac religione liberaverunt.

Marklandus in Epistula subiecta editioni Supplicum Euripidearum haec scribit: In Horatio post omnia quae in eum scripta vidi, innumera sunt quae non intellego. in toto opere vix una est Ode Sermo vel Epistula, in quibus hoc non sentio, dum lego. neque adeo miror cum haec obscuritas a posteris invecta fuerit. Horatius enim Vergilius Ciceronis nonnulla Caesar Livii quaedam Iuvenalis in scholis praelegebantur pueris et in singulis fere monasteriis (?) lectitabantur (?): inde tot spurii et inepti versus in Horatii et Iuvenalis hexametris, tot explicationes et immutationes elegantiarum linguae latinae in contextu Caesaris Ciceronis et Livii ut si isti auctores reviviscerent, in multis sua scripta non agnoscerent.

Haec Marklandus cuius doctrinam iudicium et felicitatem in restituenda veterum scriptorum manu modestiam animi et veritatem admirantur fere omnes. qui censente Wytenbachio in Vita Ruhnkenii insignem iudicandi subtilitatem ostendit hoc nimirum agens ut mutuas Bruti et Ciceronis Epistulas et huius aliquot Orationes esse spurias doceret. qui denique et latine sciebat egregie et poetas accurate intellegebat deque iis eleganter et recte iudicabat: in qua re vehementer a Burmanno in praefatione Vergiliana Marklandum reprehendente dissentio. neque ita Marklandus iuvenili aetate scripsit neque virili, sed iam senex immortale nomen egregiis libris adeptus et pristina litterarum studia continuo agitans: adeo ut hoc iudicium tamquam fructus diuturnae operae sit postremus. idque apud me etiam plus valuit, cum Valckenario multum placuisse ex Koppiersii Observatis Philologicis pag. 133 cognoveram. et quidni Valckenario placuisset qui ipse iam ante annos fere triginta in Epistula ad Roverum pag. XIV scripserat: Quis nostrum dixerit quot versus spurii in quibuscumque poetis veteribus nos ludificentur? utinam hanc partem pertractandam sumpsisset Bentleius felicissimus ille fraudum istiusmodi in Manilio repertor! —

*) Omnino nihil in veterum scriptis frequentius quam eiusmodi falsae et suppositiciae inscriptiones ac dedicationes quas malae librarium et interpolatorum sedulitati vel temeritati vel etiam fraudi deberi nemo opinor est qui nesciat. sic ut aliud insigne exemplum ad eundem Horatium spectans afferam, nullo modo exputare possum qui tandem prima satira:

tametsi pleno ore collaudat praesidium decus atque adeo editum atavis regibus appellans*), reliquo tamen carmine (v. 3—34) prorsus silentio eundem praetermittit. quod quidem ab indole carminis dedicatorii alienum esse supra iam diximus. tum idem Olympionicas quosdam nimirum canit eos curriculo pulverem colligere et quamvis ipsam metam fervidis rotis suis evitent**), tamen nescio quo pacto nobili palma ornatos et ad deos ipsos evectos esse 3. 4. 5. 6 sane quam ridicule alucinans, deinde turbam mobilium Quiritium certantem tergeminis nescio quem tollere honoribus 7. 8 et divitem latifundiorum Africanorum possessorem aliquem de Libycis arcis verrentem et proprio horreo condentem quae verrit 9. 10 in scaenam producit vel potius inepte comminiscitur nec tamen dicit quid tandem his duobus homunculis fiat, cum utrique pronomini (hunc illum) praedicatum addere plane oblitus sit. quid? quod idem nugator quicumque fuit altius etiam ut ita dicam assurgens repente ad deos superos 30 ascendere adeoque hoc successu intumescere ut etiam nympharum cum satyris chorus statim uno oris hiatu procreare sibi visus sit. a talibus commentis ac nugis hominis ineptissimi et

Qui fit, Maecenas, ut nemo quam sibi sortem
seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
contentus vivat, laudet diversa sequentes?

ad Maecenatem scribi illustrique nomine viri amplissimi inscribi ab Horatio potuerit. quid enim obsecro haec satira cuius argumentum totum in vituperandis hominum vitiis describendaque avaritia praecipua saeculi labe versatur, cum bono Maecenate commune habet? nonne Horatius hac rustica et impudenti dedicatione perpetuaque ipsius Maecenatis allocutione v. 14. 38. 40. 41. 45. 46. 49. 52—56. 63. 69—78. 81—95. 101—104. 121 (nemo enim credo erit qui non posse non tangi his versibus ipsum Maecenatem neget) animum liberalissimi munificentissimi et carissimi fautoris sui graviter laesurus fuisset? sed quid multa? ilico ex hac satira mihi crede nomen Maecenatis expungendum lacunaque quae inde oritur vel tali modo explenda:

Qui fit (scire nefas!), ut nemo quam sibi sortem
seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
contentus vivat, laudet diversa sequentes?

nunc quaeso iterum lege centiesque relege sis satiram illam qua nihil unquam novi festivius nihil tersius nec elegantius! iam quovis pignore contendam eam nunc omisso Maecenatis nomine omnibus qui sapiunt multo magis placituram esse.

Ac de reliquis carminibus dedicatoriis Horatii veluti de epist. I 1 et epod. I, quae quidem carmina item valde suspecta mihi videntur, alio loco enucleatius dicam. etenim ut statim aperiam quod sentio, ostendere conabor argumentis si potero firmis et ad persuadendum aptis duo poemata illa interpolata esse nihil curans pseudocriticorum quorundam malas artes futilesque ratiunculas. quorum unus nuper haud multum afuit quin nobis novam artis criticae legem ac normam serio commendaret scilicet talem *συλλογισμόν* si dis placet comminiscens: hoc languide et inepte dictum est. Horatius homo fuit. (an languidus et ineptus?) ergo hoc ab Horatio dictum est. quo pseudocriticorum genere — verba Ruhnkenii sunt l. c. a me iam allata — nescio an nullum sit impudentius et litteris nobisque magis molestum. nam quod angustiae pectoris sui non capiunt, non solum gravi supercilio damnant sed etiam invidiose clamant hoc demum esse urere secare mutilare. —

*) Nescio an hanc ipsam Maecenatis appellationem interpolator ab insigni loco Vergiliano mutuatus sit Aen. VII 473 sq:

hunc decus egregium formae movet atque iuventae,
hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.

quocum loco conferenda quae Georg. II 40 exstant:

o decus, o famae merito pars maxuma nostrae.

omninoque dici vix potest quot loci pseudohoratiani ex imitatione Vergilii fluxerint scilicet per imperitos compilatores utcumque concinnati. quod quidem adhuc parum spectasse mihi videntur critici.

**) De perversitate huius dictionis sanissimo iudicio sic disputavit Peerkampius a nulloodum quod sciam refutatus: „meta evitata rotis non accurate rei veritatem ostendit. nam et illi metam evitant qui currum

pueriliter balbutientis*) multum profecto differt altera manus quae nisi nos omnia fallunt ipsius poetae, nil molientis inepte est. qui quidem primum quinque strophis quaternorum versuum varia eaque gravissima hominum ut sunt negotia ac studia apte et eleganter sic percenset ut singula cola singulaeque descriptiones sive imagines intra unius eiusdemque strophae fines contineantur, tum ultima h. e. sexta stropha item perquam concinne parique versuum numero de semet ipso studiisque suis loquens poesis amorem suum qua par est modestia praedicat. —

Summarium.

Reliquum est ut quaecumque de primo carmine Horatii hoc commentariolo paulo uberius disputavimus, eorum summam nunc paucis verbis comprehendamus.

- I. Primum novam legem strophicam a Meinekiana diversam feliciter indagasse nobis videmur, secundum quam singulae strophae ex quaternis versibus sic componuntur ut quaevis descriptio sive imago ampliore interpunctione sive pausa finiatur et intra fines unius eiusdemque strophae contineatur. Meinekianam vero stropharum divisionem qua argumenti interpunctionisque nulla ratio habetur, arti ac sanae rationi repugnare supra vidimus.
- II. Tum hos XIV versus 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 30. 31. 35. 36 maximam partem iam a Peerlkampio Hermanno Linkero aliisque criticis suspectatos ego quoque pro interpolatis habeo. duas vero lacunas nondum a criticis animadversas (v. 25) ipse probabiliter ni fallor investigavi.
- III. Denique duobus locis manifesto depravatis (v. 16 et 27) emendatricem qualemcumque manum meam adhibere conatus sum. —

longo a meta intervallo circumagunt et in certamine vincuntur. res quippe in eo vertebatur et hoc erat pars victoriae, siquis quam proxime posset, metam circumveheretur et tamen eam non tangeret. hoc nemo Romanus ita simpliciter vocavit evitare, sed metam stringere radere terere premere urgere. quae quidem notiora sunt quam ut exemplis confirmem.

*) Vide etiam quae de sermone parum latino quo usus est interpolator pridem adnotaverunt Bentleius Peerlkampius Linkerus alii.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or title.

Second block of faint, illegible text in the upper middle section.

Third block of faint, illegible text in the middle section.

Fourth block of faint, illegible text in the lower middle section.

Fifth block of faint, illegible text at the bottom of the page.

Schulnachrichten.

Erster Abschnitt.

Allgemeine Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Herr Professor Weierstraß.

Deutsch. Uebersicht der älteren National-Litteratur mit Proben aus Deycks. Lectüre: Lessing's Loofoon, Göthe's Torquato Tasso und Shakespeare's Coriolan. Leitung der Privatlectüre. Grundlehren der Logik. Dispositions-Übungen. Freie Vorträge. Monatliche Aufsätze. Klassenarbeiten. 3 St. Herr Gymnasial-Lehrer Loens.

Latin. Cic. in Verrem actio II. lib. IV. Quæst. Tusc. lib. III. Brutus 3. Th. Repetitionen aus der Grammatik. 14-tägige Exercitien nach Süpfle, 14-tägige Probearbeiten, monatliche Aufsätze, Übungen im Lateinsprechen. Leitung der Privatlectüre und freie Vorträge. 5 St. Der Ordinarius. Horat. carm. lib. I. und II. und ausgewählte Epoden und Episteln. Wiederholung von lib. III. und IV. der Oden nebst metrischen Übungen. 2 St. Der Director. Cursorische Lectüre: Tacitus Agricola und Hor. epist. ad Pis. 1 St. Derselbe.

Griechisch. Plat. Euthyph. Phædon (3. Th.) und Laches. Demosth. Philipp. I. und Olynth. I. Erklärung zum Theil lateinisch. Grammatische Repetitionen nach Buttman. Correctur der 14-tägigen Exercitien. Extemporalien und Klassenarbeiten. 4 St. Der Director. Hom. Iliad. lib. I bis IV. Privatlectüre IA Ilias lib. 13—24. IB lib. 7—12. Extemporalien ungelesener Stellen. Nach Oestern Sophocles Antigone. 2 St. Der Ordinarius.

Französisch. Capefigue: histoire de Charlemagne und Corneille: Horace. 14-tägige Exercitien und Extemporalien. Monatliche Klassenarbeiten. Repetition der Grammatik nach Knebel. Sprechübungen. 2 St. Herr Oberlehrer Dr. Bludau.

Hebräisch. Wiederholung der Formenlehre nach Bosen, die unregelmäßigen Verba und die wichtigsten Regeln aus der Syntax. Uebersetzt und erklärt wurden mehrere Psalmen und einige Kapitel aus Hiob. Schriftliche Übungen. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski.

Religionslehre. a) Für die katholischen Schüler. Nach Dubelman die Lehre von der Offenbarung und ihrer Göttlichkeit, die Lehre von den Sacramenten und die Lehre von der h. Schrift und Tradition. Aus der Sittenlehre die drei göttlichen Tugenden. Aus der Kirchengeschichte des 3. Zeitalter. Gelesen wurde das Evangelium des h. Joh. im Grundtexte. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski. b) Für die evangelischen Schüler. Lehre von der Erlösung. Bibelfunde des N. T. Wiederholungen aus der Kirchengeschichte. 2 St. Herr Religionslehrer Brachvogel.

Geschichte. Nach Büß Geschichte des Mittelalters. Repetitionen aus der Geschichte des Alterthums, der neueren Zeit und der brandenb.-preussischen Geschichte. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Loens.

Geographie. Die Länder Europa's, namentlich Preußen und Deutschland. Wiederholungen aus dem ganzen Gebiete der Geographie. 1 St. Derselbe.

Mathematik. Wiederholung und Erweiterung der Trigonometrie. Stereometrie. Kettenbrüche und deren Anwendung. Theorie der Gleichungen mit specieller Berücksichtigung der Gleichungen 3. Grades. Wiederholung der gesammten Elementargeometrie. Alle 4 Wochen eine häusliche schriftliche Arbeit. 4 St. Herr Oberlehrer Kautenberg.

Physik. Mechanik. Wiederholungen aus der gesammten Physik, verbunden mit mathematisch-physikalischen Aufgaben. 2 St. Derselbe.

Ober-Secunda.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Kautenberg.

Deutsch. Uebersicht über die Rhetorik, Dispositions-Uebungen. Lectüre: Schiller's Wilhelm Tell; Biographie Schiller's. Didactische Gedichte aus Schiller, Göthes Wahrheit und Dichtung. Freie Vorträge und Declamationen. Monatliche Aufsätze. 2 St. Herr Prof. Weierstraß.

Latein. Liv. lib. XXII und XXIII. Cicero pro Roscio Amer. Erklärung zum Theil lateinisch. Privatim: Livius und Sallust. Wöchentlich Extemporiren ungelesener Stellen aus Cicero und Livius. Grammatik nach Zumpt: Repetitionen. Tempuslehre. Mündliches Uebersetzen aus Süpfle. Correctur der 14-tägigen Exercitien. Außerdem 14-tägige Extemporalien und einige Aufsätze. 8 St. Herr Prof. Weierstraß. Vergil. Aen. lib. VII. und VIII., Eclog. 1—7. Metrische und Memorir-Uebungen. 2 St. Der Director.

Griechisch. Xenoph. Mem. lib. I. Herod. lib. I mit Auswahl. Plut. Them. Grammatik nach Buttman: Die Lehre von den Temporibus und Modis. Wiederholung der Formenlehre. Extemporalien und Correctur der 14-tägigen Exercitien. Monatliche Klassenarbeiten. 4 St. Herr Gymnasiallehrer Dr. Müller. Hom. Odyss. lib. XIII—XVIII., privatim XIX—XXII. Wiederholung der verba anomala; homerische Metrik. Ausgewählte Stellen wurden memorirt. 2 St. Der Director.

Französisch. Thiers: Napoléon en Egypte. 14-tägige Exercitien und Klassenarbeiten. Grammatik nach Knebel: die Syntax des Verbuns. Repetition der Formenlehre. Uebungen aus Höchsten. 2 St. Herr Oberlehrer Dr. Bludan.

Hebräisch. Nach Vofen die Elementar- und Formenlehre. Schriftliche Uebungen. Gelesen und analysirt wurden einige Capitel aus 2. B. Samuelis. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski.

Religionslehre. a) Für katholische Schüler. Nach Dubelman aus der Glaubenslehre die Lehre von Gottes Dasein und Wesenheit, von der Einheit und Dreipersonlichkeit, von der Schöpfung, die Lehre von der Kirche. Aus der Kirchengeschichte das 1. Zeitalter. Gelesen wurde das commonit. Vincentii Lir. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski. b) Für die evangelischen Schüler. Das Leben Jesu und der Apostel. Lectüre aus den Evangelien und der Apostelgeschichte. 2 St. Herr Religionslehrer Brachvogel.

Geschichte. Nach Büß Geschichte der Römer. Wiederholungen aus dem ganzen Gebiete der Geschichte. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Loens.

